§. I.

Esse * aliquam de Actionibus humanis, sive ** scientiam sive prudentiam, iisdem fere argumentis evincitur, quibus alias existentia Juris naturalis (a) demonstratur. Quippe eam heic præcipuè disciplinam intendimus, quæ circa actiones humanas, præcisa civili aut positiva lege consideratas, & quatenus *solo isto omnibus connato Jure* reguntur, eoque nomine vel rectæ vel pravæ, justæ aut injustæ sunt, occupatur. (b) Jurisprudentiam perpetuam vocavit Grotius. (c) Universalem hodie Naturalemque communiter adpellant. In qua tradenda sic versatus est Noster, ut pulcherrimum simul Practicæ totius Philosophiæ Systema proposuisse videatur: quod quidem, servato inprimis ordine, commodèque præmissis ab ipso Prolegomenis, recte prudenterque factum existimamus. (d) Cæterum licebit nobis in palmario, omnibusque obvio argumento subsistete, quod ab hominis præter cæteras animantes præstantia atque dignitate desumitur. Cujus uti duæ sunt in mente Facultates, *Intellectus & Voluntas*; utramque vero in Corpore, velut organica mentis officina, sermocinandi Facultas comitatur: sic Homini, quatenus tali, tria præcipuè competere manifestum est, Contemplationem scilicet, Intentionem & Orationem.

* *Quæstio, ut adparet, Juris est, non facti.*

** *Sic adpellatam quoque è nuperis* D. Kulpisio, *Dissert. I. §. 4. quod per Demonstrationes elici actionum natura heic possit, ac velut per subsumtiones sub una propositione dignosci.*

(a) *Qualia, videsis infra Exercit. IV. 1.*

(b) *Pro merito hoc argumentum exegit Vir Celeberrimus, Jo. Nicol.* Hertius, *de Jurisprud. Universal. Sect. I. §. 5. &* Kulpis. *Coll. Grot. Exerc. I, 3.8.*

(c) *de J. B. & P. Prolegom. §. XXXVI.*

(d) *Qui scholæ pudiam sequuntur, hi Disciplinæ observant* (1) finem, *vitæ hujus felicitatem, humanæque perfectionem naturæ.* (2) Objectum, *quod sunt actiones humanæ, prout justæ vel secus; idque vel* materiale, *actiones morales, (& quidem externæ, quia hæ solæ inter homi-*